



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 3. Terra, pro Dea, stultè adorata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

## §. III.

*Terra, pro Dea, stultè adorata.*

Quid enim non faciunt homines, pro terra, quam paradisum esse, sibi imaginantur? pro terra litigant, duellant, digladiantur, bellantur; fidem, omnia sacra Deum ipsum abjurant, caco dæmonem adorant. Immò tanti illis est terra, ut præ ea cælum nolint: ut terram ipsam, tanquam

Alex. l. 3.  
cap. 22.  
post Plu-  
tarch.  
Tacit. de  
morib.  
Geranor.

Deam habeant, colantque. Ita enim Artaxerxes Persarum rex, pro vxoris salute, Terræ votum faciens, se illam, attacta humo, solenni prece, adoraturum promisit. Quin, teste Tacito, Germanorum populi, Rendigni, & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudotes, & Suardones, & Nuithones, in commune HERTHVM. id est, Terram matrem colunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Est in Insula Oceani Castum nemus: dicatum in eo vehiculum veste contactum, attingere vni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, vectamque bubus feminis, multa cum veneratione, prosequitur. Lati tunc dies, festa loca, quacumque aduentu hospitioque dignatur. Non bella incunt, non arma sumunt clausum omne ferrum, paxque quies tunc tantum nota, tunc tantum ama-

ta: donec idem Sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaq; ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident. Hæc veteres Germani fecere. Ridemus veteres, & imitamur. Stultos Perfæ vocamus, nec nos ipsi, in terra adoranda, sumus sapientiores. Terrâ adorat, quisquis pro focis plus contendit, quàm pro aris. Terram adorat, quisquis sibi ipse manus osculatur. Terram adorat, quicumque aurum, argentum, æs proprium & alienum in summis curis habet.

§. IV.

*In terra motu, terræ miseriam ac instabilitatem vel à Seneca considerari.*

Et quid est terra? quid hæc omnia in terris? pro quibus sudamus, laboramus, nauigamus, cælum ipsum Orco commutamus? nos ipsos perdimus? & vendimus æternam felicitatem? Caduca, fluxa, vana omnia. *Quid enim cuiquã satis tutum videri potest, si mūdus ipse cōcutitur, & partes eius solidissimæ labant?* ait homo Ethnicus; *si quod Senec, li.*